

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

Level One Medieval Latin Examination

7 September 2010

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. *From the Memorial Book of Vadstena Abbey, Diarium Vadstenense, on the arrival of a mysterious stranger from Rome.*

Anno Domini m° cd° vi°. Infra octavas epyphanie Domini venit ad monasterium Vazstenense de Roma quidam magister, Robertus nomine. Hic episcopus noviter a papa consecratus fuit, quod tamen ita occultavit, quod nemo hoc intelligere posset; verumtamen aliquibus in secreto familiariter hec intimavit. Hic a summo pontifice directus est ad Scociam pro arduis negociis statum ecclesie tangentibus. Sed propter devocionem, quam ad sanctam Byrgittam habuit, venit primo visitando monasterium Vazstenense et reliquias eiusdem sancte. Sed antequam ibi venit, accessit ad ecclesiam chadhedralem, ubi moram traxit per totum festum nativitatis Christi. Ibique fecit plures actus notabiles: primo exposuit quandam questionem satis difficilem de incarnatione Domini; deinde exposuit evangelium Iohannis: In principio erat verbum. Quod ita subtiliter et magistraliter exposuit, quod omnes, qui eum audiebant, se nuncquam hominem taliter et tam sapienter loqutum fuisse asserebant audivisse.

2. Smaragdus on penitence.

Omnis peccator in poenitentia duplum habere gemitum debet, nimirum quia et bonum quod oportuit non fecit, et malum quod non oportuit, fecit. Cum ad bona opera non assurgimus, necesse est ut nosmetipsos dupliciter defleamus, quia et recta non fecimus, et prava operati sumus. Per beatum Moysen unus turtur pro peccato, alter vero offerri in holocaustum iubetur (Lev. V). Holocaustum namque totum incensum dicitur. Unum ergo turturem pro peccato offerimus, cum pro culpa gemitum damus. De altero vero holocaustum facimus, cum pro eo quod bona negleximus, nosmetipsos funditus accedentes, igne doloris ardemus. Beatus Job post flagella proficiens, et semetipsum in magna redargutione discutiens dicit: Idcirco ipse me reprehendo et ago poenitentiam in favilla et cinere. In favilla enim et cinere poenitentiam agere est, contemplata summa essentia, nihil aliud quam favillam se cineremque cognoscere. In cilicio asperitas et compunctio peccatorum, in cinere autem pulvis ostenditur mortuorum.

3. William of Conches on the ambiguous stature of Boethius's Lady Philosophy

STATURA DISCRETIONIS AMBIGUAE. Statura illa est discretionis ambiguae in qua non est certus terminus, quia modo maior apparet, modo minor. Philosophiae ergo statura discretionis ambiguae est, quia modo parva videtur cum de parvis tractat ut de institutione morum in ethica, de dispensatione familiae in economica, de gubernatione reipublicae in politica. Maior vero videtur cum de caelestibus tractat, maxime de creatore. Et idcirco statura illius ambiguae discretionis est. Et hoc exponam postea. . .

Continuatio. Vere statura illius erat ambiguae discretionis, NAM NUNC QUIDEM VIDEBATUR magna, modo maior, modo maxima. Et hoc est: NAM NUNC QUIDEM AD COMMUNEM SESE COHIBEBAT ETC., tractando de parvis ut de praedictis, NUNC VERO VIDEBATUR PULSARE CAELUM id est tractare de caelestibus ut in astronomia, et hoc CACUMINE SUMMI VERTICIS id est ratione et intellectu qui dicuntur vertex Philosophiae ut superius expositum est, et tunc quasi maior apparebat.

4. *How great, how wonderful is the vision of heaven in Peter Abelard's hymn for Saturday Vespers*

O quanta, qualia sunt illa sabbata
quae semper celebrat superna curia.
Quae fessis requies, quae merces fortibus,
cum erit omnia Deus in omnibus.

Vere Ierusalem est illa civitas,
cuius pax iugis est, summa iucunditas,
ubi non praevenit rem desiderium,
nec desiderio minus est praemium.

Quis rex, quae curia, quale palatium,
quae pax, quae requies, quod illud gaudium,
huius participes exponant gloriam,
si quantum sentiunt, possint exprimere.

Nostrum est interim mentem erigere
et totis patriam votis appetere,
et ad Ierusalem a Babylonia
post longa regredi tandem exilia.

Illic molestiis finitis omnibus
securi cantica Sion cantibimus,
et iuges gratias de donis gratiae
beata referet plebs tibi, Domine.